






1
6
697










XXVIII

LICET.

13.



AD ALTARE PYTHIVM

ENCYCLOPÆDIAM

TEXEBAT

FORTVNIVS LICETVS.

ENCYCLOPÆDIA
AD ARAM PYTHIAM
PVBLILII OPTATIANI PORPHYRII.

FORTVNIVS LICETVS GENVENSIS
In Patauino Lyceo Physiologus Ordinarius
AMPLISSIMO SENATORI VENETO
VIDO MAVROCENO
D. D. D.





Patauij. apud Gasparem Criuellarium. Sup. permissu. M. DC.XXX.

INCLYTO
SENATORI
VENETO
VIDO
MAVROCENO
RHODIGII PRÆTORI

FORTVNIVS LICETVS.

SI quem in summa claritate generis omnigena virtus reddidit mire spectabilem, iure suspiciunt & admirantur homines; procul dubio Te, magnanime VIDE, in MAVROCENA Familia, sceptris infulis armis & litteris enitente, generosissimum; in principis Reipublicæ

Magi-

Magiſtratibus adminiſtrandis vere iuſtum atque prudentem, non ſoli Piſca rienſes, apud quos olim ſupremus armorum Præfectus egiſti; nec Rhodigini ſoli, quibus regendis etiamnũ præſides Prætor eximius; ſed omnes, ad quos gloriam tui nominis clara iam fama deduxit, merito colimus & admiramur. Te namque Venetæ dignitatis amplificatorem egregium celebrant inclyti Proceres; Te Legum peruigilem Cuſtodem ſummopere verentur etiam imperterriti milites; Te demum progenitoribus ortum ſanctitate, doctrina, fortitudine conſpicuis, iiſdemque Cardinalitia purpura, Ducali Throno, Regalique diademate fulgentibus enatum, Patriciorum florem delibatum, magnum Diui Marci incrementum, ac vno verbo, *VIDVM MAVROCENVM*, quaſi dicamus *virtutum Mare Oceanum* ex animo colunt omnium ordinum mortales: Inter quos ego a multo tempore vixi tuarum virtutũ cultor aſſiduus, magne Senator: ſed hactenus occaſione cõgrua deſtitutus hãc meã erga Te propenſionẽ patefacere

tem

non potui: Nunc autem bene mecum agitur, cui tamdem illuxit illa prospera dies, qua tamdiu latentem in animo meo cultũ exerere, ac non Tibi solum, sed vniuerso viuentium cœtui publica litterarum ope manifestare valeo: Quam etenim Publilius ille Optatianus Porphyrius Magno *CONSTANTINO* Romanorum Imperatori dudum dedicauerat *ARAM PYTHIAM*, simul cum alijs nonnullis eiusdem generis Epigrammatibus, in exiguæ certe molis opusculo, sed doctissimorum hominum contestatione artificij & laboris immensitate insigni volumine comprehensam; eamdem a me nõ ita pridem notis illustratam, vna cum mea in eius explicationem conscripta *ENCYCLOPÆDIA*, Tibi consecrare volui, Tibi nuncupare debui, vir egregie; primum quod hæc Ara Publilij de semetipsa loquens, Te ipsum *VIDE* primis litteris alloqui ac appellare videtur, veluti patronum & suum Tutelare numen: Deinde quod si Porphyrius hanc Aram Imperatori sacrauit; meam ego ipsi adhibi-

tã *ENCYCLOPÆDIAM* congruenter vni Tibi dedico, qui, nouus Mecœnas, atauis regibus editus, populorum gubernatione, ſummique militum imperij procuratione mirifice clues: Deinceps quod ſi & Heroibus Aras ponendas eſſe præcepit Ariſtoteles; & Anaxagræ, quem Aelianus ait nunquam ridere, nec omnino ſubridere viſum, geminas Aras poſuit antiquitas; alteram *Mentis*, alteram *Veritatis* inſcriptam (forſitan inſinuars eius opinionem de *Mente*, cuncta ex Chao deducente, *veritati* conſentaneam eſſe) merito nunc ego Tibi, quem Venetos inter Heroas agnoſcimus procul a iocis ſeria ſemper agentem, meas ad *Altare Pythium* meditationes inſcribo, præſtantiſſime *VIDE*: Vt autem Optatianus olim ſui libelli dedicatione ſibi promeritus eſt ab Auguſtiſſimo Cæsare beneuolentiam, moleſtioris exilij remiſſionem, & honorem laudis ac epiſtolæ; ſic ego nunc Tibi litterarium hoc munus offero, perpetuæ meæ in Te obſeruantiæ pignus, & ſingularis Tuæ in me beneuolentiæ promerendæ publicũ

argu-

argumentum. Vale Venetorum Heroum ſplendor ;& me , quem Tibi ſemper obſeruantiſſimum exhibeo , atque polliceor , peculiari Tuo fauore protegere ne graueris. Patauij XV. Calend. Septembris. MDCXXIX.

HAnc Aram, olim a Publilio Optatiano Porphyrio Apollini statutam, magnus nostri æui philosophus, ac philologus Fortunius Licetus (cuius doctum caput Encyclopædia immortali omnium disciplinarum redimit serto) summa cum ratione dedicat Tibi, VIDE MAVROCENE, Tibi inquam, cui summus ille Apollo mentem dedit omni Phœbeo iubare splendidiorem; inquo sagum, & toga amicè certant de principatu; quem atauis heroibus ortum heroicæ virtutes su-

pra

pra humanum fastigium effe-
runt; cuius denique laudes, quã-
uis immensæ, ac propemodum
fidem egressæ, cum rerum veri-
tate mirè consentiunt.

Maurocene igitur, meritò Tibi ponitur Ara,
Quem genus, & virtus Dis immortalibus æquant.

Amplitudini tuæ deuotiss.
Martinus Sandellius Pat.

Musa

MVsa, relegati Nasonis caussa poetæ,
Porphyrio patrios reddidit Vna lares.
Exilium vates iterum iam, iamq; ferebat,
Jamque sui domini fata timebat opus:
Affuit, & Phœbum Phœbo inspirante, Licetus
Instantem vetuit, continuitq; fugam.
Arte laboratos licuit recludere versus,
Dia Stagyritæ cui monumenta senis.
Sic etiam pandit princepsq; paterq; Sophorum
Pierios fontes, Pieriosq; modos.
Sed fortuna minor ne vindicis, atq; patroni
Carminis, illius quam fuit ante, foret,
Maurocene, tuos fasces, sua Stemmata Magni
Pro Constantini prętulit Imperio.
Torsit ab inuito metus, & dolor exule munus:
Gratius hoc, meritus quod tibi mittit amor.

Pangebat

Matthæus Vaijra.

Appro-

Approbationes.

Ego Fr. Io. Paulus Sansonius Art. ac sacr. Theolog. Doct. & S. Inquisit. Pat. Vic. General. quum inter hunc librum legendum Excellentiss. Fortunij Liceti Philosoph. Ordinarij Professoris in hoc Gymnasio Patauino, cui titulus est *Encyclopædia* & c. nihil quod S. Rom. Ecclesiæ sanctionibus, Principumque decretis, bonorumque morum integritati aduersaretur, offenderim; quinimmo summo eum lepore parique doctrina refertum compererim; non modo prælo admittendum duxi, verum etiam vt omnes admissum comprobatumque cognoscerent, propria manu atque nomine communiui.

Fr. Io: Paulus Sans. qui supra.

Faccio fede io infascritto che nel libro scritto intitolato *Encyclopædia & c.* autore D. *Fortunio Liceto & c.* non hò trouato cosa contra Prencipi, & boni costumi, lo giudico degno di stampa.

Excellentiss. Senatus Veneti Secret. Augustinus Dulcius.

Noi Reformatori del Studio di Padoa

Hauendo hauuto fede dal R. P. Inq. che nel libro intitolato *Encyclopædia & c.* Autor D. *Fortunio Liceto*, non vi è cosa contra la S. fede Catolica; & similmente fede del circ. secr. del Senato Agostino Dolce, che in detto libro non vi è cosa contra Prencipi, ò buoni costumi, concedemo licenza di esser stampato in questa Città, ò in altro luoco del Dominio nostro, con conditione che non sia venduto, se prima non sarà presentato vno nella libraria publica, giusta la parte del Senato di 2. Xbre. 1622.

R. à 12. Xbre. 1628.

Nicolò Contarin Ref.

Zaccaria Sagredo P. Ref.

Giulio Priuli Secr.

INDEX
CAPITVM IN HOC OPVSCVLO
CONTENTORVM.

FORTV-

VIII

FORTVNII LICETI
In Suam
ENCYCLOPÆDIAM
AD ARAM PYTHIAM
PVBLILII OPTATIANI
PORPHYRII
PRÆFATIO.

INTER *laboriosa pariter & artificiosa poematia, quæ priscus ille Publilius Optatianus Porphyrius in aureo suo Panegyrico descripsit, principem locum obtinet Idyllium Altaris Pythij, constructum ab autore ad imitationem Aræ symbolicæ Vetustissimæ tum anonymi Nonarij Terrigenæ, tum etiam Dosiadæ, a Luciano in Dialogo Lexiphanis concelebratæ. Vt autem seniores illos ante nostram ætatem nemo præter Optatianum imitari aggressus est; ita sane tenebricosa eorum Jdyllia, plurimas antiquiores historias, & multas*

disciplinas attingentia, vna hæc Ara Porphyrij multiplici pollens eruditione satis æmulatur. Nos ergo, qui distinctis voluminibus Nonarianum, & Dosiadeum Altare iam explicauimus; Encyclopædiam texere satagentes tenemur peculiari etiam opusculo Publilianum hoc Altaris carmen dilucidare; atque nostra quoque propositorum poematum qualiacumque imitamenta, quibus vario tempore nostratium Heroum laudes vtcumque celebrauimus, in medium afferre ad inuidorum fascinum vetusto more a nobis auertendum.

Opus ergo Diuino fauente Numine iam aggrediamur.

FORTVNII LICETI

Ad Aram Pythiam

ENCYCLOPÆDIA,

In qua Publilij Ara deſcribitur; & huiuſmodi poematij plura proponuntur imitamenta.

Ara Publiliana deſcribitur, aſſignaturq; ratio cur maioribus litterarum characteribus ab autore ſuo fuerit efformata in effigiem Menſæ. Cap. I.

DOſiadam, & Anonymum illum Nonarij Terrigenæ tegmine ſe ſe occulentem imitatus priſcis Imperatoris Conſtantini magni temporibus Publilius Optatianus Porphyrius; autor a Diuo [a] Hieronymo, [b] Beda, [c] Fulgentio, [d] Cuſpiniano, [e] Rhabano Mauro, Lilio [f] Gyraldo, viris grauiſsimis celebratus in hoc genere litterarum; inſigne volumen edidit non quidem mole, ſed artificio ac improbo labore mirabile: cuius munere pridem ab Imperatore finem exilij, & a tanto Principe laudem epiſtolæ ſibi promeruit. In quo libello, præter alia multa poemata patientiæ miſerrimæ, audaciæ inuſitatæ, ac, vt aît eruditus Velſerus, temeritatis pene

[a] In Chron. Conſt.
[b] De Art. metr.
[c] de exp. vir.
[d] in vit. Cōſtan.
[e] in prolog.
[f] 4. de poet. hiſt.

incredibilis, & vnis metris senarijs hanc Aram posuit,

PVBLILII OPTATIANI
PORPHYRII
ARA PYTHIA.

1 VIDES VTARASTEMDICATAPYTHIO
FABREPOLITAVATISARTEMVSICA
SICPVLCHRASACRATISSIMAGENSPHOEBODECENS
2 HISAPTATEMPLISQVISLITANTVATVMCHORI
TOTCOMPTASERTISETCAMENAEFLORIBVS
HELICONIISLOCANDALVCISCARMINVM
NONCAVTEDVRAMEPOLIVITARTIFEX
EXCISANONSVMRVPEMONTISALBIDI
LVNAENITENTENECPARIDEVERTICE
3 NONCAESADVRONECCOACTASPICVLO
ARTAREPRIMOSEMINENTESANGVLOS
ETMOXSECVNDOSPROPAGARELATIVS
EOSQVECAVTESINGVLOSSVBDVCERE
GRADVMINVTOPERRECVRVASLINEAS
NORMATAVBIQVESICDEINDEREGVLA
4 VTORAQVADRAESITRIGENTELIMITE
VELINDEADIMVMFVSARVRSVMLINEA
TENDATVRARTELATIORPERORDINEM
MEMETRAPANGVNTDECAMENARVMMODIS
MVTATONVNQVAMNVMERODVNTAXATPEDVM
QVAEDOCTASERVATDVMPRAECEPTISREGVLA
ELEMENTACRESCVNTETDECRESCVNTCARMINVM
HASPHOEBESVPPLEXDANSMETRORVMIMAGINES
TEMPLISCHORISQVELAETVSINTERSITSACRIS

1\. *Stem dicata.* 2. *Quos litant.* 3. *Coacta spicula.* 4 *Vt hora quadra,*

Quod

Quod poematium ego pedestri sermone homo minime poeticus, vt dicebat [†] Maximus Tyrius mentem Homeri declaraturus, explicabo: ac sane Idyllium præsens Aræ, Mensæque figuram aptissime repræsentat; nam [g] Macrobius id in Saturnalibus innuit ex Virgilio, cui sic scribitur [h] alicubi,

† Serm. 36

g lib. 3. cap. 3

h 8. Aeneid.

Ex illo celebratus honos, lætique minores
Seruauere diem: primusque Potitius autor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri,
Hanc Aram luco statuit; quæ maxima semper.
Quare agite o Iuuenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris;
Communemque vocate Deum, & date vina volentes.
Dixerat, Herculea bicolor quum populus vmbra
Velauitque comas, folijsque innexa pependit:
Et sacer impleuit dextram Scyphus; ocyus omnes
In Mensam læti libant, Diuosque precantur.

Quin & [i] alibi,

i 1. Aeneid.

Dixit, & in Mensam laticum libauit honorem.

Nisi fortasse dicere mallemus, Aras a Virgilio nuncupari mensas, quod Ara veteribus esset Mensa Numinis, cui sacrificium & oblationes fieri consueuerant: *vnde in*

Iure

Jure Papiriano euidenter relatum eſt, Aræ vicem præſtare poße Menſam dicatam; ait enim; vt in templo Junonis Populoniæ auguſta menſa eſt; namque in fanis alia vaſorum ſunt & ſacræ ſupellectilis, alia ornamentorum; quæ vaſorum ſunt, inſtrumenti inſtar habent, quibus ſacrificia conficiuntur; quarum rerum principem locum obtinet Menſa, in qua epulæ, libationeſque, & ſtipes reponuntur: Ornamenta vero ſunt Clypei, coronæ, & eiuſcemodi donaria: neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra ſacrantur: at vero Menſa, arulæque eodem die quo ædes ipſæ dedicari ſolent: vnde Menſa hoc ritu dedicata in templo, Aræ vſum, & religionem obtinet puluinaris. Ergo apud Euandrum quidem fit iuſta libatio; quippe apud eam Menſam, quæ cum Ara maxima more vtique religionis fuerat dedicata, & in ſuo luco ſacrato, & inter ipſa ſacra in quibus epulabantur. Sic ergo Publilius Aram Pythiam Poeticam maiuſculis litteris in formam Menſæ non ſine ratione conſtruxit; etſi minuſculis oblongæ Aræ figuram, non Menſæ, repreſentare videatur hunc in modum,

Vides

Vides vt Ara stem dicata Pythio
Fabre polita Vatis arte Musica
Sic pulchra sacratissima Gens Phoebo decens
His apta templis quis litant Vatum chori
Tot compta sertis et camenae floribus
Heliconijs locanda lucis carminum
Non caute dura me poliuit artifex
Excisa nō sum rupe mōtis albidi
Luna enitente nec pari de vertice
Non caesa duro nec coacta spiculo
Artare primos eminentes angulos
Et mox secundos propagare latius
Eosque caute singulos subducere
Gradu minuto per recuruas lineas
Normata vbique sic deinde regula
Vt ora quadrae sit rigente limite
Vel inde ad imū fusa rursum linea
Tendatur arte latior per ordinem
Me mētra pāgunt de camenarū modis
Mutato nunquā numero duntaxat pedū
Quae docta seruat dum praeceptis regula
Elementa crescunt & decrescunt carminum
Has Phoebe supplex dans metrorum imagines
Templis Chorisque Laetus intersit Sacris.

Ara proposita dilucidatur quoad singulas sui particulas. Cap. II.

HOC sane poematium vt cum Ara Dosiadæ, aliaque Nonarij Terrigenæ conuenit in eo, quod Ara introducitur loquens, & de semetipsa loquens; ita nonnullas habet proprietates, quibus ab illarum vtraque distinguitur: in primis enim hæc Ara non ita difficilis est intellectu, nec vlla ex parte est ænigmatica, vt illæ duę, sed explicatu longe facilior, & intellectu longe clarior est: Deinde multas alias conditiones hæc ipsa refert, quas lubet in singulorum versuum explicatione suis locis seorsum animaduertere.

Vides vt Ara stem dicata Pythio.

Inducit autem Publilius hic Aram de semetipsa loquentem, imitatus Nonarium, & Dosiadam similiter facientes, ob rationes in Encyclopædia ad eorum Altaria propositas; quas non est vt hic frustra repetamus. Alloquitur hic Ara non auditores, sed lectores; quia quum vniuersa eius energia & vis con-

consistit in figura & imagine Altaris, quæ auribus percipi nullo modo potest, sed oculis tantummodo conspici valet; propterea *videntem* lectorem compellat. *Aram* se dicit, quia in effigiem Arę formata est; & Arę poeticæ solam structuram docet. Monet autẽ se *stare*, quoniam Arę situs proprius est erectus, & figura peculiaris recta, quæ rebus tantummodo stantibus aptatur, iacentibus non aptatur; quod indicaturus alicubi [a] Virgilius infit,

Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens [a] 3 Aeneid.
Aggeritur tumulo tellus: stant manibus Aræ
Cæruleis mœstæ Vittis, atraque cupresso.

& apud Didonem, ab eodem [b] poeta celebratam ne dixeris an infamatam? [b] 4 Aeneid.

Stant Aræ circum; & crines effusa sacerdos
Tercentum tonat ore Deos, Herebumque Chaosq;

Immo vero quum Aræ Dijs superis dicatæ, starent a terra exaltatæ; Dijs vero terrestribus in terræ planitie sacrificia fierent; infernis autem numinibus sub terra effossa litaretur; vt ex Porphyrio Platonico, & Festo notauit [c] Gyraldus agens de natura Deorũ Gentilium; propterea scitissime Phœbo, [c] Syntag. 17.
Deo cælesti & supero dicata hæc Ara, stare

ſcribitur a Publilio. Quum autem Aram ſuam illam erexerit Doſiada Muſis in terra degentibus; & per eam repreſentatum Altare dudum conſecratum fuerit ab Iaſone Deo Lemni Vulcano: hæc Ara Publilij dicitur eſse dicata Pythio, Apollini ſcilicet Muſarum Præſidi; qui ab interfecto Ignorantiæ monſtro ſub fabula ſerpentis [d] Pythonis, Pythius appellatus fuit; quique apud Platonem in Cratylo dicitur Ἀπολούων, & Ἀπολύων, quaſi abluens a malis, ſoluenſque: quid autem homini maius malum quam ignorantia poteſt accidere? nihil certe; vt ait in Philæbo vel ipſemet Plato. Aptiſſime vero poematij Ara Deo poetarum tutelari, & Poeſeos inuentori ac Patrono conſecratur. Sed & gratitudinis ergo Publilius Apollini ſtatuit & conſecrat Aram, quo auſpice Poetices artem difficillimam ſibi comparauit, qua ceteros mortales ęui ſui nouo poematiorum genere ſuperauit, atque a ſummo Imperatore magnis fuit honoribus auctus; veros eſſe confirmans pręclaros illos verſus Empedoclis a Theodoreto relatos in ſua morali [e] Curatione Græcorum affectuum, ita,

[d] Ouid. 1. metam.

[e] ſerm. 8.

εἰς δὲ τέλος μάντεις τε καὶ ὑμνοπόλοι καὶ ἰητροὶ.
Καὶ πρόμοι ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισι πέλονται.
Ἔνθ' ἀναβλαστάνουσι θεοὶ τιμῶσι φέριστοι.

quos elegantissime sic vertit Zenobius ille Acciaolus,

Hymnidici vates, Artis Medicæque periti,
Mortales cunctos primi post terga relinquunt:
Sunt vbi Dij superi magnis honoribus aucti.

Apollini Pythio Publilius epigramma suum hoc in Aræ formam effigiatum dedicat, alludens ad vetustum morē inscribendi epigrammata Tripodibus, vt cōstat ex † Coelio, † 8. ant. lect. cap. 15. cui tum Lactantius Grammaticus persuasit Tripodem esse mensam Apollinis, corio serpentis Pythonis intectam; ad cuius mensæ similitudinem hæc Ara quadrata spectatur: tum Mos Veteribus frequens fuit, exculpendi in Tripodibus epigrammata: id quod nec tacuit Gellius, quum ait, Hesiodum atque Homerum aliquo tempore eodem vixisse, epigrammatis argumento probari, quod in Tripode scriptum fuerat, quem in monte Helicone posuisset Hesiodus. Hæc vero repetit * Gellius ex Varronis * 3. noct. att. cap. 11. libro De Imaginibus primo. Et Priscianus scribit, legisse se epigrammata in Tripode

vetustissimo, qui in Xerolopho fuisset Byzantii.

Fabre polita vatis arte Musica.

His ostenditur hæc Ara constructa fuisse non arte fabrili, aut figlina, aut ædificatoria, aut alia quapiam materiali, ac manibus operante; sed arte musica vatis. Quoniam vero poematia debent inter ceteras conditiones esse venusta & decora; nam obseruatione f Gyraldi Musis Gratiæ coniunctæ dicuntur, quoniam & Poetis Charites ipsæ necessario coniunctæ videntur, quæ raro admodum & inuitæ illos deserunt: hinc Ara dicitur *fabre polita*, scilicet artificiose venusteque constructa; quia poesis absque concentu & numeris, adeoque sine Gratijs & artificio, nihil aliud est, Platonis decreto in Gorgia, quam sermo popularis; a quo vt longe debet abesse poema, sic procul abest hæc Ara, quæ concentu, & numeris affabre polita conspicitur: Poesis autem scite nuncupatur Ars Musica, Ars quidem, quia eius finis non est pura putaque cognitio, vt scientiæ; sed operatio, nimirum

f Syntag. de Musis.

affectuum generatio, moderatio, commotioue, vt monet [g] Aristoteles; qui discrimē ponens inter Artem & scientiam, [h] scribit Artem esse circa rerum non existentium generationem, scientiam autem circa rerum existentium cognitionem: Musica vero, tum quod a Musis instinctu quodam fanatico instilletur in mentibus hominum, vt ait in Ione Plato; tum quod rythmo & cantibus maximopere gaudeat.

[g] Poet. cap. 7. & seqq.
[h] 2. post. anal. t. 104

Sic pulchra sacratissima gens Phoebo decens

Quum Poetæ sint gens Apollini, Musarum præsidi, caræ, maxime curæ, adeoque Deo illi Musagetę sacratissima deuinctissimaque; profecto si Musis Gratiæ coniunctæ sunt, proindeque poetis Charites valde necessariæ; iam a Poetis Deo Pythio dicatum Altare, & arte poetica fabre constructum atque politum, non potest non esse pulchrum atque venustum. *Sic* ergo Gratijs Musisque poetam in Aræ constitutione gubernantibus & adiuuantibus, Ara *pulchra* constructa visitur; cuiusmodi *decens* est, quam efficit & dicat *gens Phoebo Sacratissima*.

Quin

Quin &

His apta templis quis litant vatum chori.

Non ſolum hæc Ara fabre polita eſt, nimirum artificioſa & pulchra, ratione Opificis Poetæ; ſed etiam ratione loci, in quo ſtare debet; & ratione finis, ob quem conſtruitur; quia collocanda eſt Ara in *templis*, in *quibus Chori Vatum litant* Apollini: vatum Chori dicuntur, quia poetarum ſacrificium proprium eſt cantus & melos: Ara vero, quę in templis Muſarum ponitur, non ad animalium victimas, nec ad plantarum holocauſta; ſed ad hymnos & cantus, quibus vnis poetæ Phœbo ſuo litare conſueuerunt; pulchra eſſe debet ac venuſta.

Tot Compta ſertis & Camenae floribus

Neque vero ſolum eſſentialem pulchritudinem habet hæc Ara ab opifice ſuo, ſed etiam accidentalem & aduentitiam; nam vt Aræ veterum aliæ paſſim coronabantur, & ornabantur floribus; quod conſtat ex Ara erecta Nice ſuæ ab Hermete in hanc

hanc effigiem a Mazochio fidissime descriptam ad amussim ex marmoreo lapide in Vrbe Roma,

COCCEIAE ENICE DOMITIAE
F. CHRYSAE
VIX. ANN. XXIV. M. IIII. D. XXIV.
HERMES COCCEIAE BASSAE
ACT. CONIVGI. BENE.M.
ETERNAM TIBI SEDEM HERMES ARAMQ.
DICAVI
NICE OPTASSEMVE VTINAM TVA FA
TA SVPERSTES
VT MIHI TV FACERES SED INIQVA SOR
TE MALIGNA
RAPTA IACES ANNIS IAM VIDVATA
TVIS
IAM TIBI CYBELES SINT ET ROSA GRA
TA DIONES
ET FLORES GRATI NYMPHIS ET LILIA
SERTA
SITQVE PRECOR MERITIS QVI NOSTRA
PARENT TIBI DONA
ANNVA ET HIC MANES PLACIDA TIBI NO
CTE QVIESCANT
ET SVPER IN NIDO MARATHONIS CAN
TET AEDON.

In quo monumento cetera nota sunt; duo hæc notatu &, explicatu digna; quæ sint dona Cybeles apta sepulchro; & quid sibi velit Aedon Marathonis. De primo, censeo Pineas nuces, ramosque, arboresue pinus,

nus, & ex ijs conſtructas coronas, ac lemniſcata ſerta nunc indicari per dona Cybeles; nam Pinus arbor eſt Cybeli ſacrata; vt conſtat tum ex Luctatij notis ad illa [i] Papinij

[i] 10. Thebaid. init.

———————————— *reſperſaque cultris*
Arbor.

Pinus, ait, *quæ colitur in ſacris matris Deum, ſub qua iacuit Attis, Matri Deum dilectus* tum ex [k] Phædro, cui

[k] 3. fabular.

———————————— *Quercus Ioui,*
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybelæ, populus celſa Herculi.

tum ex [l] Valeriano; tum ex [m] Iacobonio, & alijs plurimis: Eadem vero pinus arbor eſt, quæ ſepulchris veterum apponebatur, vt conſtat ex [n] Fonteio referente multa priſcorum monumenta, in quibus coronæ ex Pineis nucibus, & ramis colligatis aſpiciuntur: & ſane Pinus apta ſepulchris eſt primo, quia mortis index eſt; nam vt a morte ad vitam non datur reditus in natura, quippe Ariſtoteli [o] non datur mutatio a priuatione ad habitum; ita pinus ex arboribus vna reciſa non repullulat; quod in Erato pulchre teſtatur [p] Herodotus, nullam perditæ arboris mentionem faciens, aliter ac illi impo-

[l] Hierogl. 52
[m] app. de Cæſijs.
[n] lib. 2. cap. 4. & 14.
[o] Præd. cap. de oppoſitis
[p] lib. 6.

ponunt viri clarissimi; ait enim, ἀποτειχίσας ὦν τὸν αὐχένα τῆς Χερσονήσου ὁ Μιλτιάδης, καὶ τοὺς Ἀψινθίους τρόπῳ τοιῷδε ὠσάμενος, τῶν λοιπῶν πρώτοισι ἐπολέμησε Λαμψακηνοῖσι. καί μιν οἱ Λαμψακηνοὶ οἱ λοχήσαντες αἱρέουσι ζωγρίῃ. ἦν δὲ ὁ Μιλτιάδης Κροίσῳ τῷ Λυδῷ ἐν γνώμῃ γεγονώς. πυθόμενος ὦν ὁ Κροῖσος ταῦτα, πέμπων προηγόρευε τοῖσι Λαμψακηνοῖσι μετιέναι Μιλτιάδεα. εἰ δὲ μή, σφέας πίτυος τρόπον ἀπείλεε ἐκ τρίψειν. πλανωμένων δὲ τῶν Λαμψακηνῶν ἐν τοῖσι λόγοισι, τί θέλει τὸ ἔπος εἶναι τό σφι ἀπείλησεν ὁ Κροῖσος, πίτυος τρόπον ἐκ τρίψειν, μόγις κοτὲ μαθὸν τῶν τις πρεσβυτέρων, εἶπε τὸ ἐόν, ὅτι πίτυς μούνη δενδρέων πάντων ἐκκοπεῖσα, βλαστὸν οὐδένα μετίει, ἀλλὰ πανώλεθρος ἐξαπόλλυται. δείσαντες ὦν οἱ Λαμψακηνοὶ Κροῖσον, λύσαντες μετῆκαν Μιλτιάδεα. οὗτος μὲν δὴ διὰ Κροῖσον ἐκφεύγει. *hoc est, Miltiades igitur, interceptis faucibus Chersonesi, atque hoc modo Absinthijs cohibitis, primis ceterorum Lampsacenis intulit bellum: illi dispositis insidijs eum viuum cepere. Ea re Crœsus Lydus audita (erat autem Crœso Miltiades charus) per nuntios Lampsacenis præcepit vt hominem missum facerent; alioqui se illos in morem Pini extriturum comminatus est: Hac oratione nutantibus Lampsacenis, quid sibi vellet quod Crœsus minabatur, se illos in morem Pini extriturum; vix tamdem quidam e maioribus natu intelligens, quid illud esset exposuit, inquiens Pinum ex omnibus arboribus*

C *solam*

ſolam eſſe, quæ exciſa nullam ſobolem remittat, ſed prorſus emoriatur: Ea propter veriti Cræſum Lampſaceni, ſolutum Miltiadem remiſerunt.

Deinde quia ſua inſigni amaritudine mortem repreſentat, cuius ſola memoria dicitur [q] amara; nam ſacra pagina, mortis nomine ſignificat amaritudinem; dum apud Eliſeum audimus exclamantes mortem eſſe in Olla, in quam iniecta fuerat amara colocynthis. Deinceps quia pinus odore ſuo arcet fœtorem cadaueris, & aromatica ſua ſiccitate compeſcit eiuſdem putredinem, ideo ponebatur in antiquorum ſepulchris. Denique quod pinus ob figuram conicam & pyramidalem optime repreſentaret flammam, quam eſſe voluerunt priſci ſymbolum animæ; propterea pinum libenter apponebant ſepulchris, in quibus vna cum tumulatis corporibus opinabantur manere mortuorum animas nomine Manium; vt late probauimus in opere noſtro [s] De *Lucernis Antiquorum reconditis*. Ob hæc omnia mentio fit Cybelis in hoc epitaphio. De ſecundo, res longe difficilior eſt explicatu, ſane precatur maritus iſte ſuperſtes

[q] Daniel. cap. 13.

[r] 4. Reg. c. 4.

[s] 3. lib. c. 7.

ſtes

ſtes vt Luſcinia ſuper conuigis defunctæ ſepulchro in nido cantet Marathonis; & vniuerſa difficultas eſt in voce Marathonis, quid proprie ſignificet, & cui proprie ſit adiungenda: Duo hic dicimus, vnum eſt, Marathonis nomine ſignificari celebratiſſimum illum Atticæ locum, in quo Perſarum trecenta millia cæſa ſunt a triginta dũtaxat millibus Athenienſium; vt in Meſſenicis teſtatur Pauſanias: alterum eſt, eiuſdem [a] Pauſaniæ relatu, In Marathoniæ campis, vbi tumulus eſt Athenienſium, qui in pugna illa memorabili ceciderunt; ex quo pilæ eminent, in quibus cæſorum nomina & tribus inſcriptæ ſunt; audiri ſingulis noctibus equorum hinnitus, & pugnantium etiam virorum ſimulachra cerni; atque hæc quidem qui de induſtria auditum ſpectatumue venerint, male multatos abire: ijs vero qui fortuito id animaduerterin t, ex ira Manium nihil omnino triſte accidere. Verba Pauſaniæ ſunt hæc,

[a] In Atticis.

Δῆμος ἐςι Μαραθὼν, ἴσον τῆς πόλεως τῶν Ἀθηναίων ἀπέχων. καὶ Καρύςυ τῆς ἐν Ευβοίᾳ. Ταύτῃ τῆς Ἀττικῆς ἔχον οἱ βάρβαροι, καὶ μάχῃ τὲ ἐκρατήθησαν. καὶ τινας, ὡς ἀνήγοντο, ἀπώλεσαν τῶν νεῶν. Τάφος δ᾽ ἐν τῷ πεδίῳ Ἀθηναίων ἐςὶν.

ἐπὶ δὲ αὐτῷ στῆλαι, τὰ ὀνόματα τῶν ἀποθανόντων κατὰ φυλὰς ἑκάστων ἔχουσαι. καὶ ἕτερος Πλαταιεῦσι Βοιωτῶν καὶ δούλοις. ἐμαχέσαντο γὰρ καὶ δοῦλοι τότε πρῶτον. Καὶ ἀνδρὸς ἐστὶν ἰδίᾳ μνῆμα Μιλτιάδου τοῦ Κίμωνος, συμβάσης ὕστερον οἱ τῆς τελευτῆς, Πάρου τε ἁμαρτόντι, καὶ δι' αὐτὸ ἐς κρίσιν Ἀθηναίοις καταστάντι. Ἐνταῦθα ἀνὰ πᾶσαν νύκτα καὶ ἵππων χρεμετιζόντων καὶ ἀνδρῶν μαχομένων ἐστὶν αἰσθέσθαι. καταστῆναι δὲ ἐς ἐναργῆ θέαν, ἐπίτηδες μὲν οὐκ ἔστιν ὅτῳ συνήνεγκεν· ἀνηκόῳ δὲ ὄντι καὶ ἄλλως συμβὰν, οὐκ ἔστιν ἐκ τῶν δαιμόνων ὀργή.

hoc est,

Marathon curia pari spatio ab Athenis abest, & Carysto Euboeæ opido. Ad hanc olim *Atticæ partem Persæ primum appulerunt; ac prælio fusi, non paucas in ipsa fuga naues amiserunt. In* huius regionis *campis tumulus est Atheniensium qui in pugna ceciderunt: & ex eo pilæ eminent, in quibus cæsorum nomina & tribus inscriptæ sunt. Est & alter, Platæensibus Bœotis* structus, *& seruis: tunc enim primum serui stipendia fecerunt. Seorsum vero monimentum est Miltiadis Cimonis filij; cuius Virtuti quum non satis secunda fortuna, dum Paron obsideret, respondisset; non ita multo post quam populi inuidia damnatus est, vita decessit. In his campis audiuntur singulis noctibus equorum hinnitus, &*

pugnan-

pugnantium etiam virorum species cernuntur: atque hæc quidem qui de industria auditum spectatumue venerint, male multati abeunt; ijs vero, qui fortuito id animaduerterint, ex ira Manium nihil omnino triste accidit.

Iurarem ego superioris epitaphij conditorem ad hanc historiam alludere; ac precari vt ex tumulo suæ coniugis non exaudirentur equorum hinnitus nocentes ex ira Manium; sed suaues cantus Aedonis, vt inquit „ Virgilius, super eo monumento nidificantis; & dulcedine cantus tum Manes recreantis, tum viuentes mortales delinientis; nec intermittat vnquam cantum, sed diu noctuque concinat: Luscinia enim a perennitate cantus Aedon dicitur, quasi semper canens; quod etiam tunc canat, quum reliquæ volucres sileant. Porro Virgilij versus de suauitate cantus Aedonis habetur in epigrammate de cantu Syrenarum, huiusmodi,

„in epigrammate de cãtu Syrenar.

Syrenes varios cantus Acheloia proles,
Et solito miseros ore ciere modos:
Illarum voces, illarum Musa mouebat,
Omnia quæ Thimelæ carmina dulcis habet:
Quod tuba, quod litui, quod cornua rauca fuerent.

rentum,

Quodque foraminibus tibia mille sonat,
Quodque leues calami, quod suauis cantat Aedon,
Quod Lyra, quod citharæ, quod moribundus olor:
Illectos nautas dulci modulamine vocis
Mergebant auidæ fluctibus Ionijs:
Sanguine Sisyphio generatus magnus Vlysses
Hac tutos solida præstitit arte suos;
Illeuit cera sociorum callidus aures;
Atque suas vinclis præbuit ipse manus;
Transiluit scopulos & inhospita littora classis;
Illæ præcipites dissiluere freto:
Sic blandas vocis notulas, ac carmina vicit;
Sic tandem exitio monstra canora dedit.

In cuius explicatione Ascensius non bene scribit Aedonem esse nomen Musici; quum Lusciniæ nomen sit. Sed redeamus ad Arã Publilij: vt ergo in Hadriani Augusti numo [x] Pierius vidit Aram corimbis ornatam; ita poetica Publilij Ara mysticis floribus & corollis ornata dicitur, de quibus Plato in Ione scribit, dum ait Poetas à Musarum viridarijs collibusque decerpentes carmina ad nos afferre: Quæ sane carmina pulchra sunt flores & serta, quibus Aram suam orna-

x 49. Hieroglyph.

ornatam comptamque ſcribit hic eſſe Publilius: Qui arte poetica, muſicis proportionibus inſtructa, conſtruxit hanc Aram, in eum finem, vt Poetæ, ſacra gens Phœbo, litare poſſint ſuo Tutelari numini corollis & floribus, decerptis ex Lucis Heliconijs, vt aiebat ibidem Plato; & innuit Publilius addens,

Heliconijs locanda lucis carminum.

Aræ quoque ſuæ locum hoc metro deſignat noſter Optatianus; quum enim antiquitus Aræ in nemoribus arborum multitudine refertiſſimis, & opacis extruerentur; vt conſtat ex Pauſania in Bœoticis; & ex Homero in [y] Hymnis ſcribente, y Hym. 1. in Venerem

Ἐς Κύπρον δ' ἰλθῦσα, θυώδεα νηὸν ἔδυνεν

Ἐς Πάφον· ἔνθα δέ οἱ τέμενος βωμός τε θυώδης,

idest,

Cyprum autem quum veniſſet, odoriferum templum ingreſſa eſt

Paphi: ibi autem illi lucus eſt, Araque ſacra.

& ex Theocrito in Colo dicente,

Θαρσεῖος ἄμμιν ὁ μάρτει πόλιν ἐς Νείλεω ἀγλαάν,

Ὅππα Κύπριδος ἱρὸν καλάμῳ χλωρὸν ὑφ' ἁπαλῷ.

idest,

Conſi-

Confidens sequere nos in illustrem vrbem Neilei,
Vbi Veneris delubrum est viride sub arundineto
tenero.

Fiebant autem Aræ veterum in densis & opacis nemoribus; tum vt indicaretur, naturã diuinã nos multum latere, ac obscuram nobis in tenebris delitescere; quod innuit Aristoteles[z] alicubi statuens notitiam, quam habemus de rebus Diuinis, parum abesse a cæcitate; quod mẽs nostra caliget ad eas, vt[a] oculus nycticoracis ad lumẽ diei; quod oculo noctuæ tenebras offundens, minimum ab eo percipitur: tum vt significaretur Numinis Mysteria cælanda esse multitudini, occultandaque populis in ciuitate degentibus; nam sic magis venerantur. Ceterum opaca nemora Luci vocantur, vel per antiphrasim quod non luceant; perinde ac militum contentio ac pugna nuncupatur bellum, quod sit quid horribile, ac minime bellum: vel etiam proprie, quod noctu ob crebra sacrificiorum lumina mirifice lucerent, &, procul admodum lucerent, Luci nuncupabantur nemora, in quibus Aræ Diuino numini ponebantur: etsi postea Luci nomen ad omnia

z 9. meta. t. 22.
a 2. meta. t. 1

nemora traductum sit, et si nullæ in ijs haberentur Aræ. Porro suam Aram Optatianus hic ait locandam esse in *lucis Heliconijs carminum*, hoc est in silua voluminum poeticorum, adeoque suũ hoc poematium esse studiosotum cœtui promulgandum: Nec sane mirum est voluminum poeticorum congeriem, ac numerum, siue ordinem a Publilio nuncupari nomine Lucorum Heliconiorum metrorum; nam & Papinius poeta nonnullos suorum poematum libros appellauit Siluas; & alij quoque a poetis volumina sua Siluas variæ lectionis inscripserunt, vt Petrus Messias.

Non caute dura me poliuit artifex.

Secernit hic se Ara Publilij ab Aris antiquorum e cinere seu aqua subacto, seu victimarum sanguine; de quibus in Eliacis, & in Bœoticis agit Pausanias; ac speciatim dum inquit, *Stato autem die quotannis, Februarij mensis nono supra decimum, Aruspices cineres ex Prytaneo deportant, eoque aqua ex Alpheo amne diluto Aram Ionis oblinunt; Religione sancitum est, cinerem sola Alphei aqua dilui,*

atque ex eo tantum luto Aræ tectorium superinduci: eam ob rem Alpheus Fluuiorum omnium Ioui maxime amicus creditur. Est & Didymis (Milesiorum ea ciuitas est) Ara, quam a Thebano Hercule luto subacto victimarum sanguine extructam Milesij tradunt. Ceterum hac de re latius in Ara Nonarij terrigenæ tractauimus. Aræ igitur seu ex luto, seu ex cinere & aqua, sanguineue; seu ex terra & aqua subacto fierent; quum eas oblinire polirique necessarium esset, ac subigi duro quopiam instrumento; id Cautem duram fuisse probabile satis est: Quare nostra hæc Ara se non ex luto, nec cinereo, nec terreo constitutam esse significat, dum se non esse dura caute politam ab opifice contestatur.

Excisa non sum rupe montis albidi.

Quum etiam Aræ plurimæ fierent olim ex marmore, ac ex candido lapide; vt idem Pausanias confitetur in Bœoticis, & in Corinthiacis, asserens, Aram dicatam fuisse non solum Ioui Eleutherio, sed etiam Soli constructam e candido lapide: & quia marmora plerumque nascuntur in monti-

bus;

bus; qui glabri quum sint, & arboribus herbisque virentibus destituti, ob terræ, aquæue penuriam; quæ non inuenitur in locis lapidosis; procul inspecti montes hi, a colore marmorum, quibus affluunt, albidi conspiciuntur: Quales reuera se se produnt aspicientibus colles Lunenses in orientali Lyguria, prope Massam & Carrariam Municipia, marmoribus candidis affluentissimi, Parijs illis ab autoribus tantopere celebratis candore niueo non concedentibus: proinde Publiliana hæc Ara significatura se non esse constructam ex marmore, nec ex lapide, pulchre dicit excisam se non esse de rupe montis albidi; nam & Aras ex lapidibus fieri monuit [b] Aristoteles; & montes collesque lapidosi procul adspicientibus albicare cernuntur; quia terram irriguam & humidam non habent, quæ plantis vestita vireat, & arboribus opacata nigreat; nam vel semen super lapides satum, aut non nascitur, aut statim natum arescit ob humoris penuriam; vt obseruatur in [c] sacra pagina.

b 2. phys. t. 59.

c Luc. cap. 8.

Luna enitente nec pari de Vertice
Non caeſa duro nec coacta ſpiculo.

Segregat ſe nunc Ara Publilij ab Aris ligneis; quas obſeruatu Pauſaniæ pariter in Bœoticis, condebant veteres Dædala ſacra nuncupata facturi in vertice montis Cithæronis; dum inquit ſe non eſse cæſam Luna enitente, nec pari de vertice, nec duro ſpiculo, nec duro ſpiculo coactam; quibus quatuor negat ſibi, quæ neceſſaria ſunt in cædenda materia lignea ad Aræ ſtructuram; tempus, locum, duo inſtrumentorum genera. Tempus quidem, dum aſſerit ſe non eſſe cæſam *Luna enitente*; ſcilicet hic Luna enitens intelligenda venit priuatiue, hoc eſt non-nitens; quia Deo quum erigi ac offerri debeant non niſi quæ ſunt in ſuo genere præſtantiora, & quantum fieri poteſt incorruptibilia, immortaliaque; vt omnes antiquiores cenſuiſſe monet a Ariſtoteles: Quumque b Pliniana obſeruatione maxime referat quo tempore Lunæ ligna conſtruendis ædificijs apta cædantur; quia nonniſi a vigeſima in trigeſimam diem cædi volunt; quod

a 2. cæl. t. 20.
b lib. 16. cap. 39.

quod tempus est Lunæ derescentis ac silentis; inter omnes vero conuenit, ligna vtilissime sterni in Lunæ coitu; quam diem alij interlunium, alij silentis Lunæ appellant: Sic certe Tiberius Cæsar concremato ponte Naumachario, larices ad restituendũ cædi ex Rhætia præfiniuit: Quidã dicunt vt in coitu, & sub terra sit Luna, quod fieri non potest nisi noctu: At si competant coitus in nouissimum diem brumæ, illa sit æterna materies; quæ [f] diu multumque seruetur imputris & incolumis ob siccitatẽ, & humiditatis internæ penuriam; quam cum Luna decrescere compertum est in arboribus: Quibus cædendis ad aptam & diuturnam ædificitorum materiam Plinio consentiens [g] Vitruuius eligit autumnale, ac brumale tempus; quando stirpes iam exuerunt humoris vbertatem partu fructuum, emissuque florum, & frondium, & lacrymarum. Locum vero sibi negat hæc Ara necessarium ligneæ materiæ cædendæ dum ait, se non esse cæsam *nec pari de vertice*, nimirum ex impari, aspero scilicet colle, ac siluoso, non habente parem & ęquabilẽ superficiem; vel etiam non haben-

[f] Aris. 1. cel. t. 113. 114.

[g] l. 2. cap. 9.

te pariter album colorem, vt colles vnde lapides eruuntur, vnde marmora excinduntur; nam ſiluoſi montes, & nemoroſi procul aſpicientibus colorem non album, ſed opacum ac viridem referunt, & ſuperficiem aſperam. Niſi hæc duo, proindeque totum primum verſum referre velimus ad tempus, & ad Lunam; vt hæc Ara ablegget ab ſe materiam omnem ligneam, conſtituens ſe non eſſe cæſam Luna plena, quæ dici poteſt Luna enitens in vulgata ſignificatione, hoc eſt valde nitens; nec Luna diminuta, quæ deſcribitur apte *pari vertice*, hoc eſt duplici vertice; nam & primus numerus par eſt binarius, & in Luna vertices duo non ſunt niſi duo cornuum apices, qui ſpectantur in Luna diminuta: Quare dicens ſe non eſse cæſam, nec Luna enitente, nec pari de vertice; iam indicat ſe non eſse ligneam; quum ligna cædi neceſsario debuerint in eius fabricam vel enitente Luna, vel eadem in par apicum extenuata. Inſtrumenta vero, quibus ligna cæduntur, etiam ab ſe ablegat Ara noſtra, dum altero metro dicit ſe non eſse cæſam duro ſpiculo ferrei cunei; nam duplici hoc inſtrumen-

to passim vtũtur lignicidę, bipẽni acuta, quę ligna secat; & spiculo cunei, quo coguntur partes ligni compressæ vtrimque, vnde tamdem lignum diffinditur. Ita ergo se penitus immaterialem probauit Ara Publilij.

Artare primos eminentes angulos.

Ablegata iam a se omni corpulenta materia, incipit nunc Ara nostra sui formam, quæ pura puta figura est, explicare; quum enim supra constituerit se visui conspicuam esse, ac fabre politam arte Musica; quum artificiosarum rerum forma visibilis [h] Aristoteli nihil aliud sit quam figura; merito nunc ad sui formã exponendam accedens, vnã sui figuram explicat Ara Publilij: Nisi cum Democrito censuerit Optatianus figuram esse formam essentialem cuiusque rei, etiam naturalis; quam opinionem Democriti refutat Aristoteles [i] alicubi; & innuit laudandum esse propositum Publilianum, dum Arę suæ figuram latius exponit; Aristotelis autem verba sunt hæc; *Non enim satis est eatenus tantum nosse, quibus ex rebus compositum*

h Præd. Qualit. 4. gen.

i 1. de part. cap. 1.

tum

tum ſit, vt igne, terraue; ſed perinde agendum, vt ſi de lecto, aut de quolibet alio generis eiuſdem ageretur; formam enim potius quam materiam eius declarare tentaremus, vt æs, aut lignum: vel ſi id minus, totius quidem ipſius ſpeciem non omitteremus; Lectus enim hoc in hoc eſt, aut in hoc tale eſt: Quocirca vel ipſam figuram explanari, qualisque forma ſit, indicari congruit; quippe quum formæ natura potior ſit quam materiæ: Igitur ſi animalium, membrorumque vnumquodque figura, coloreque eſt; recte Democritus diſſerit, qui ex ijs ipſis putaſſe animalia conſtare videtur: quippe qui perſpicuum eſſe dicat, qualis forma ſit homo, quaſi ſua ipſe homo figura, coloreque pateat: Atqui mortuus homo quamquam figuræ formam habet eamdem, tamen homo non eſt. Ita plane Ariſtoteles: vnde conſtat belle nunc Publilium artificioſæ ſuæ Aræ, materiam non habentis corporalem, explicare formam, atque figuram. Primoque dicit ſub Aræ perſona, in ſui conſtructione Porphyrium Opificem *primos angulos eminentes artare;* quia duos verſus eminentes in cacumine totius Altaris, primosque lectu, conſtituit Publilius omnium verſuum breuiſſimos & arctiſſimos, non immi-

imminuto numero pedum metricorum, sed solum litterarum elementarium, efformans locum, vbi ponuntur oblationes.

Et mox secundos propagare latius.

Quatuor subsequentes poematij versus designat hoc metro, qui in Ara ad primos duos comparati, sunt multitudine litterarum dumtaxat adaucta, longiores, ac latius se se expandunt.

Eosque caute singulos subducere.

Quia si conferantur adinuicem quatuor versus efformantes partem *Aræ* secundam, non sunt omnes adinuicem æquales, vt duo illi primi; sed sensim sine sensu decrescunt, ac diminuuntur; inferiorque semper est superiore breuior; solo pariter characterum litterariorum numero diminuto.

Gradu minuto per recuruas lineas.

Nempe breuitas maior hęc inferioris versus erga superiorem in hac Aræ secunda

parte, debet esse minuta & exigua; nimirum vt posterior versus vtrimque breuior sit suo præcedenti, *gradu minuto*, duplici nempe litterula, vtrimque deficiens vnico solum charactere; vt in morem scalæ gradus minuentis, curuas lineas vtrimque ad marginem hi versus quaterni representent.

Normata vbique sic deinde regula,
Vt ora quadrae sit rigente limite.

Post hos sex versus, duas primas *Aræ* partes efformantes, duodecim alij sequuntur, Altaris corpus, seu ventrem, vt ita loquar, effingentes; qui mensuram penitus eamdem inter se, ac eumdem prorsus litterarum numerum obtinentes, efficiunt figuram quadratam, seu verius quadrangulam, supra basim, tamquam supra sui limitem *rigentem*, hoc est, erectam, & stantem; cuiusmodi fuisse vetustiorum *Aras*, docet sa-
k exod. c. 27. cra pagina; in qua pręcipit Dominus[k] Moysi; *Facies & Altare de lignis Sethim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id est, quadrum; & tres cubitos in alti-*

altitudine : cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt, & operies illud ære : ibique notat Lyranus glossator, hoc Altare fuisse factum ad modũ Arcæ quadratæ; cuiusmodi sunt etiam nunc Altaria in Ecclesijs Fideliũ. Deinde vero in eadem sacra [l] scriptura pręcipit eidem Moysi Deus, *Facies quoque Altare ad adolendum thymiama de lignis Sethim, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, idest, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine,* cuiusmodi fuit Ara Dosiadæ nuper explicata. De qua duplici figura, quadrangula scilicet, atque quadrata, in duplici Hebræorum Ara meminit etiam Flauius [m] Iosephus in Antiquitatibus Iudaicis inquiens, *Inter hoc, & mensam, vt dixi, sita erat Arula suffumigatoria, & ipsa e ligno imputribili; sed solida lamina circumquaque contecta, cubitali in quadrum latitudine, altitudine vero dupla:* Ecce Aram quadrangulam altera parte longiorem, vt erat Ara Nonarij, & Dosiadæ: *super qua stabat foculus corona aurea circumquaque cinctus : cui anuli inerant cum suis vectibus, quo per viam a Sacerdotibus deportari posset. Sed & pro foribus tabernaculi erat Ara alia, hæc quoque lignea laminis æreis inte-*

[l] exod. c. 30.

[m] lib. 3. c. 7.

cta: in quadrum quinque cubita patens, altitudine trium cubitorum, inaurata. Ecce Aram quadratam, vti hæc Ara Publilij:

Vel inde ad imum fusa rursum linea

Tendatur arte latior per ordinem.

His explicatur figura basis Aræ, quæ sex postremos versus comprehendit; qui ea arte ita inuicem se habent ad superiores, vt omnes sint superioribus quidem longiores; sed tres primi gradatim crescant vtrimque, additione vnius litterulæ per ordinem; ac tres postremi similiter sint tertio primorum maiores, longioresue ex vtroque latere, adiectione vnici characteris litterarij, ceterum inter se sint æquales.

Me metra pangunt de camenarum modis.

Quæ corporali materia supra carere visa est Ara; cuiusque figura nouissime fuit explicata; quia sine materia prorsus figura consistere nequit; suam nunc Ara materiam symbolicam exprimit; vt quæ dudũ dicta

est

est nec ex luto, nec ex ligno constructa; nunc ait *Ara* se compactam esse ex versibus Musarum modos habentibus; & reuera hæc *Ara* est purum putum poematium ex metris constitutum, sola longitudine, seu multitudine litterarum inuicem differentibus; & ita coordinatis vt aspectui figuram *Altaris* antiqui plane representet: Quod ea speciatim ratione scite dicitur compactum de Camenarum modis, quia hoc est *Altare* Pythio Apollini dicatum, vt supra vidimus in eius primo versiculo; ceterum *Apollini* solæ camenæ laudes & hymnos apte concinunt; vt admonet Plutarchus, in *Ei Delphico* scribens, *Apollini autem canunt Pœanem carmenque modestæ Camenæ*.

Mutato nunquam numero duntaxat pedum.

Insuper Ara nostra qualitatem speciemque suæ symbolicæ materiæ patefaciens, atque designans ait, Metra, ex quibus constituta esse dixerat, nunquam mutare numerum suorum pedum, sed esse vniformia; quia singuli versus huius Idyllij constant æquali numero pedum; siquidem omnes ad vnum

sena-

ſenarii ſunt verſus hanc Aram conſtituẽtes.

Quæ docta ſeruat dum præceptis regula

Scilicet dum norma & regula ſcite menſurans longitudines, varias quidem, ſed proportionatas metrorum eiuſdem ſpeciei, callensque plurimum artem poeſeos, præceptis artis hos omnes verſus in Ara ſeruat, numerum eumdem pedum obtinentes, in varietate multitudinis characterum,

Elementa creſcunt & decreſcunt carminum.

Tunc ad arbitrium pangit carmina huic Aræ conſtruendæ congrua & apta; quorum varietas, Altaris partibus diuerſis efformandis neceſſaria, pendet ex ſolo incremento & decremento, ſeu maiori & minori numero litterularũ; quæ ſunt elementa pedũ metricorum prima; quę in pluribus carminibus eiuſdem ſpeciei Poeta doctus ad libitum, & ad oportunitatem ſui ſcopi, modo auget, modo minuit ex arte.

Has Phœbe supplex dans metrorum imagines.

Nimirũ poeta Publilius Aræ huius artifex, qui poeticam nouis inuentis excolit, has imagines metrorum, Aram, Syringam,& alia plurima id generis referentes, dans Tutelari numini tuo supplex, o Phœbe.

Templis chorisque laetus intersit sacris.

Precatur Optatianus Phœbum supplex, vt ob has metrorum imagines, quæ sunt poematia figuram Nauis, Organi, & aliarum rerum representantes, liceat sibi poetæ interesse lætus templis Musarum sacris, & choris poetarum sacris; lætus ob pulchrorum poematum compositionem, ab alio nemine, præterquam a Magnentio Rhabano Mauro tentatam, & aliquantisper a Venerabili Beda, post antiquiores illos, Nonarium, Dosiadam, Simmiam Rhodium, & Theocritum Syracusanum: Rhabanus enim pleraque poematia Publiliano more, solis elemẽtorum litterariorum artificiosa positione, construxit; Hominum, & aliarum plurium rerumtum naturalium, tum artifi-

ciosarum imagines aspectui referentia: Quę nos in præsentia non attingimus, ad antiquiora illa Simmiæ, ac Theocriti, reconditos philosophiæ, ac veteris historiæ sensus referentia, stilum conuertentes. Ita ergo nos explicandam duximus pulcherrimam Aram Publilij in hanc effigiem ab eo constructam,

1 VIDES VTARAS TEMDICATAPYTHIO
FABREPOLITAVATISARTEMVSICA
SICPVLCHRASACRATISSIMAGENSPHOEBODECENS
2 HISAPTATEMPLISQVISLITANTVATVMCHORI
TOTCOMPTASERTISETCAMENAEFLORIBVS
HELICONIISLOCANDALVCISCARMINVM
NONCAVTEDVRAMEPOLIVITARTIFEX
EXCISANONSVMRVPEMONTISALBIDI
LVNAENITENTENECPARIDEVERTICE
3 NONCAESADVRONECCOACTASPICVLO
ARTAREPRIMOSEMINENTESANGVLOS
ETMOXSECVNDOSPROPAGARELATIVS
EOSQVECAVTESINGVLOSSVBDVCERE
GRADVMINVTOPERRECVRVASLINEAS
NORMATAVBIQVESICDEINDEREGVLA
VTORAQVADRAESITRIGENTELIMITE
4 VELINDEADIMVMFVSARVRSVMLINEA
TENDATVRARTELATIORPERORDINEM
MEMETRAPANGVNTDECAMENARVMMODIS
MVTATONVNQVAMNVMERODVNTAXATPEDVM
QVAEDOCTASERVATDVMPRAECEPTISREGVLA
ELEMENTACRESCVNTETDECRESCVNTCARMINVM
HASPHOEBESVPPLEXDANSMETRORVMIMAGINES
TEMPLISCHORISQVELAETVSINTERSITSACRIS

1. *Sten dicata.* 2. *Quos litans.* 3. *Conta spicula.* 4. *Vt hora quadra.*

Nunc

Nunc autem ad opusculi complementum, & ad auersionem fascini ab hac nostra Encyclopædia, præstat nonnulla huius imaginis metrorum, & carminis in *Aræ* formam effigiati, non ita pridem a viro clarissimo, & a nobis edita imitamenta his attexere, quæ statim subnectere libuit.

Afferuntur recentiores imitationes propositorum Altarium. Cap. III.

In erudita Miscella Epitaphiorum Clarissimi Laurentij Pignorij duo ad summum antiquioris huius figurati carminis imitamenta quædam, non metris, ast oratione soluta nouissime videre contigit; quorum prius quidem seu Columnam, seu si mauis Aram æmulatur, & recte; nam veteres tum sepulchris columnas imponebant, quibus defunctorum laudes inscribebant; testimonio [a] Platonis, [b] Theophrasti, ac [c] Rhodigini: tum *Aris* pro sepulchris vtebantur; vt admonet Pausanias in Laconicis, memorans Hyacinthi sepulchrum esse in Basi *Aræ* factæ in formam columnæ. Cuiusmodi est hoc epitaphium Pignorianum in hanc effigiem inscriptum Manibus

[a] 12. de leg.
[b] in characterib. moralib.
[c] lib. 17. c. 20

F ALE-

ALEXANDRI
TERENTII.



Alexandro Terentio I. C. Cano-
nico Patauino Viro optimo, rerum
ſacrarum peritia, pietate in
pauperes, & faci-
litate in omnes ap
primè inſigni Ioā
nes Terentius I. C.
& Canonicus Pa-
tauinus mortali-
tatis memor, ſibi
& patruo bene-
merenti, cui ſecundum Deū
quidquid eſt acceptum omnino
fert, Locum ſepulturæ deſignauit.

Poſterius autem Epitaphium, ſeu Altaris, ſeu potius Crucis figuram oculis repreſentans, in hanc faciem poſitum eſt cineribus

FOEMINARVM
RELIGIOSARVM MVRANI.

IHC
Hic re-
quiescũt
cineres ea
rum, quæ
in sæculo, mortuę sęculo, Tibi vni
CHRISTE vixerunt. Tu hos
iube, quæsumus, Terra ne compri-
mat. il-
las, cum
dies bea-
tæ retri-
butionis
aduenerit,
pius & miseri-
cors ad dexte-
ram tuam colloca.

Licet autem hoc Epitaphiũ Crucis formam præ se ferat; nobis tamen libuit ipſum inter Altarium imitamenta recenſere, tum quod Aræ veterum vtcumque Crucis imaginem exhibere videntur; tum quod ob egeſtatem recentium imitationum, cogimur pro Altaribus Columnas & Cruces, ad *Aræ* ſimilitudinem quodãmodo conformatas, ſubſtituere.

Ad auerſionem faſcinantis inuidiæ, noſtra Poematis Aræ imitamenta nonnulla in laudem Heroum æui noſtri proponuntur. Cap. IIII.

Nos autem poſt Optatianum Porphyrium peruetuſti poetæ Nonarij Terrigenæ, ac Doſiadæ carmina, mirifice priſcas Aras referentia, primi omniũ imitari ſtuduimus; eas plurimum erigentes in laudem Heroum noſtræ tempeſtatis: Quas quidem imitationes ad inclytorum virorũ celebritatem, meamque ſummos erga proceres conteſtatam obſeruantiam, debitumque cultum eximijs eorum virtutibus; & more vetuſto ad amoliendum inuidorum oculorum faſcinum a ſerijs noſtris operibus

bus, velut amuletum hic referendas esse duximus: nam vt ait in [a] Symposiacis Plutarchus, διὸ καὶ τῶν προβασκανίων γένος οἴονται πρὸς τὸν φθόνον ὠφελεῖν, ἑλκομένης διὰ τὴν ἀτοπίαν τῆς ὄψεως· ὥστε ἧττον ἐπερείδειν τοῖς πάσχουσι.

[a] lib. 5. de quæ. 7.

hoc est,

Itaque eorum, quæ aduersus fascinum amuleta dicuntur, prodesse visum putant contra liuorem, auertentia visum vt minus penetret in eos, qui inspiciuntur. Et [b] Theocritus in Bubulcis,

ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.

[b] Idyll. 6.

Idest,

Ac ne fascinarer, ter in meum despui sinum.

Scilicet Antiqui res turpes, & obscœnas, presertimque pudendorum humanorum imagines appendebant aduersus fascinum, vt harũ rerum intuitu eluderetur vis maligni oculi nocere cupientis; nec dubium est, inquit [c] eruditissimus ille Casaubonus, quin eamdem ob caussam Romanis olim moris fuerit pudenda pro amuletis e collo puerorum suspendere: Varro de [d] Lingua Latina, *Potest vel ab eo, quod puereis turpicula res in collo quædam suspenditur, ne quid obsit, bonæ scæuæ caussa*, hoc est, boni ominis, boni euentus gratia; licet σκαῖα [e] Rhodigino

[c] in lect. Theocrit. cap. 8. ad Idyl. 6.

[d] lib. 6.

[e] lib. 15. cap. 18.

gino ſumantur abſolute pro improſperis, & infortunatis. Qui tamen [f] Cœlius in eamdem ſententiam ſcribit, *Sunt qui membrũ virile item Faſcinum appellent; vt in carmine* [g] *obſcæno, & apud* [h] *Horatium,*

[f] lib. 4. c. 6.

[g] Priapeiæ [h] epod. ode 8.

Minuſue languet faſcinum.

vbi Porphyrio, faſcinũ pro virili parte poſuit; quoniam faſcinandis rebus hæc membri deformitas apponi ſolet. Sed aduertant quæſo eruditi an verior ex hiſtoria elici ratio poſſit: Lectũ ſiquidem apud Varronem eſt, vt notat etiam Diuus [i] Auguſtinus in Ciuitate Dei, *In Italiæ compitis Liberi patris ſacra ſolita celebrari tanta turpitudinis licentia, vt in eius honorem virilia colerentur pudenda, palam exultante nequitia: nam Liberi membrum per dies feſtos magna celebritate ploſtellis per agros prius, mox & in Vrbem vectabatur: Lauinij integer menſis Libero dicabatur: quibus diebus vnuſquiſque ſpurciſſimis abutebatur verbis, donec per forum id tranſueheretur membrum: Cui inſpectantibus omnibus matrem familias honeſtiſſimam, coronam neceſſe erat imponere. Sic Deus is propitiabatur ad ſeminum euentus; ſic ab agris faſcinatio auerruncabatur: vnde, opinor, turpi mẽbro impoſitum nomen, ab eo quod præſtabat.*

[i] D. Aug. 7. de ciu. Dei cap. 21.

Sed

Sed nec ideo culpandus erat a Cœlio Porphyrio dicens Membri deformitatem fascinandi vim habere, proindeque fascinum appellari; nam vt verum pudendum plerumque fascinat inspectantes homines; ita eius imago fascinationem auertere credebatur antiquitus. Sic [k] Plinius inquit, *Quamquam religione mutatur & Fascinus, Imperatorum quoque, non solũ infantiũ custos; qui Deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur; & currus triumphantium sub his pendens defendit medicus inuidiæ, iubetque eosdem inuidiam recipere*. Diodorus etiam [l] Siculus, obseruatione [m] Casauboni, de re turpi, ac speciatim de imagine Priapi appensa in amuletum contra fascinationes inquit, πρὸς γὰρ τοὺς βασκαίνοντάς τι τῶν καλῶν, τοῦτον κολαστὴν παρεισήγαγον. id est, *Aduersus enim fascinantes aliquid pulchrorum, hoc amuletum*, seu *hanc castigationem induxerunt*. *Similiter*, addit vir catus, *apud Græcos, artificibus quibusdam moris fuit ante officinæ fores ridicula quædam arcendæ inuidiæ appendere vel affingere.* [n] Pollux, Πρὸς δὲ τῶν καμίνων τοῖς χαλκεῦσιν ἔθος ἦν γελοῖά τινα καταρτᾶν, ἢ ἐπιπλάττειν, ἐπὶ φθόνου ἀποτροπῇ, ἐκαλεῖτο δὲ βασκάνια. id est, *Ante camina vero fabri solebant ridicula quædã suspen-*

k lib. 28. cap. 4.

l lib. 4.

m lect. Theocr. c. 8.

n lib. 7. c. 24.

pendere, aut formare, ad inuidiæ auersionem; quæ Bascania appellabantur. Ita nos in præsentia qualescumque nostras has imitationes, præter olim promulgatas, nostrosque lusus huc afferre voluimus aduersus inuidorum fascinum, velut amuleta, & vt inquit Plinius, tamquam Medicos inuidiæ. In ijs autem afferendis nullum alium ordinem seruaturi nisi temporis, quo deinceps e calamo nobis effluxerunt. Multas enim ereximus laudis Aras viris heroica virtute præstantibus; quoniam vt Scytharum gens effera *Pyladi* & Oresti, quos non Deos existimabant, sed viros bonos, & perfectos amicos, offerre [o] sacrificia consueuerunt, erectis Altaribus; vt etiam templa ponenda esse decreuit [p] Aristoteles partim Dijs, partim Heroibus; & sicuti, [q] Aeliani testimonio, Anaxagoræ Philosopho geminæ Aræ positæ sunt ab antiquis, altera *Mentis*, altera *Veritatis* inscripta; sic eius opinionem de *Mente* cuncta ex Chao deducente *Veritati* consentaneã esse significãtibus: & quẽadmodũ Amicitiæ numinibus Castori & Polluci semimortalibus veteres templum & [r] Aram construxerunt: Ita nos in primis aliquando proposuimus

o Lucian. in Toxari.

p 7. polit. cap. 12.

q 8 var. hist. c. 19.

r Plutarch. L. Gyrald. synt. 1. & 2. de Dijs. Pausan. in Attic & in Laconic.

Alta-

ALTARE

Non fucati cultus

Serenissimo Genuæ Duci

IO·LVCÆ CLAVARO

ERECTVM.

Duci Ducum optumo
IOANNI LVCÆ CLAVARO
Clavigeri Numinis Successori
Insomni PATRIÆ Palinuro
LYGVSTICÆ molis Atlanti
Post Egregie Gestos
Improbis Laboribus
Domi foris terra mari
Genuensis Dominij
Magistratus inclytos
Nunc ad Reipublicæ
Celsa Gubernacula
Tractanda collocato
Venerabũdi plaudant
Calamis & Animis
Probi homines omnes
Super ARAM veræ Laudis
Magno Bifrontis incremento
Præconiorum Thymiamata
Pulchrioribus Elogijs Adolentes
Et IANI Principatum gratulantes.

ARA

Amplissimo Patauino PRÆTORI

HIERONYMO

LANDO EQ.

Erecta.

Dic Musa quis clausum
Reclusit tēplū Themidis;
IVSTI sacro titulo verendus?
ANGLO Regi quis inter Heroas
Prudens LEGATVS innotuit?
Quis gloriæ semitam
Terens pede præpeti
Trāsgreditur inclytus
Priscum Auorū decus?
Dic mihi, quis animo
Prȩclarā prȩter famam
Nil aliud reuoluit?
Quis insueto more
Humanū supra captū
Extollitur sublimis
Reddens se parē Deo?
Hic Landus est termaximus,
Orator, PRÆTOR, Senator,
Firmissimum Virtutis Asylum.
Ipsi Tu Clio Honoris ARAM erige;
Cor ego prom ptus Holocaustum offeram.

Dim-

Dimmi ò Musa, chi aperse
Già di Themi il chiuso Tẽpio,
E vantar puote il titolo di GIVSTO?
Chi è l'alt'Eroe, in cui'l Rè d'Anglia scerse
Di saggio Ambasciator l'vnico esempio?
Chi nel sentier di gloria
Con si veloce piede
Hoggi 'l valor vetusto
De gli grand' Aui passa?
Dimmi, cui nel cor siede
Di fama alta memoria,
E ogn'altra vogli'ha cassa?
Chi in disusato stile
Oltr'ogn'human pensiero
S' inalza glorioso,
E fassi a DIO simile?
Lando è quel tre volte altero,
L'Orator, il Pretor, il Senatore;
In cui Virtute ha il suo fermo riposo.
Ergi a lui dunque o Clio l' Altar d' Honore;
Gli offrirò i' pronto in HOLOCAVSTO il Core.

Illustrissimo & Excellentissimo Senatori

D. D.

DOMINICO MOLINO

VENETORVM HEROVM DECORI

Ara Litteraria erecta.

Phœbo Musisque sacri
Celso in Vertice montis
Quo nec Turbines scandunt Erroris
Nec Imbres cadunt Ingnorantiæ
Qui LITTERAS politiores
Oblitterare sæpe
Vel turpibus lituris
Fœdare potuerunt,
Eruditorum Patri
Sophorum Tutelari
DOMINICO MOLINO
vetus Mineruæ mysta
FORTVNIVS LICETVS
Clarissimos ad ignes
Obsequij Synceri
Maximo cultu Litat
Præconiorũ victimam,
x intimis Præcordijs
Adolens laudum mascula thura
Orgijsque Palladis initiatos omnes
Solemnem hortans ad celebrationem.

S. E. D. M. N. N.

ARA

ARA
HEROICÆ AMICITIÆ
BARBADICO-TARVISANÆ

Erecta.

IOVE Ledaque Nati
Maris in Insula Pephno
Alterna semper qui morte viuunt
Alterna semper qui vita cadunt
DEORVM omnium maxime
Iam apud Cephalenses
Castor Polluxque culti;
Gens at nunc Hesperia
Dicata colit Ara
MARCVM ET NICOLAVM
Oenotrios Dioscuros
Qui Venetis in vadis
Vitam Opes Honorem
Sibi Communicarunt;
Gemellis illis DIIS
Candidos agnos olim
Sacrificabant Veteres;
HADRIACIS HEROIBVS
Sanctæ ad ignes AMICITIAE
Beneuolentiam decenter adolemus
Apteque LITAMVS admiratione.

An-

ANTONIO CANALI

AMPLISS. SENATORI VENETO

Patauinam Præturam capeſſenti

Laudis Aram

P.
FORT. LIC.

Dynaſtarum Hadriæ
Splendidiſſimo iubari
MARCIÆ Puppis ARGONAVTÆ
Maximo VENETVM ornamento
Humanæ PROBITATIS Aſylo
Antiquiſſimæ ſtirpis
Generoſo Germini
Patriæ Magiſtratibus
Clementi IVSTITIA
Sanctę adminiſtratis
Nunc ad Antenoream
Præturam capeſſendã
Venienti Occurrant
Omnes vrbis ordines
Fauſtũ almo Rectori
Aduentũ acclamantes
Super ALTARE Gloriæ
H E R O I S æternæ Famæ
Celebri LAVDVM Sacrificio
Studioſą Æmulationę Litantes
Plauſuque CANALEM ingeminantes.

ARA

ARA

Heroicæ Virtuti

HIERONYMI LEGII

PATAVINI PRÆFECTI

Posita.

Euganei RECTORIS
Quem fama notum efficit,
Colimus sacrum LEGII nomen:
Hic ex antiqua Lege fortunam
Optime rexit vtramque nostram:
Maris petenti Regiam
Cantemus comitem Viro
Partam Virtute gloriam;
At Lex cantum coerceat,
Qua dum sedere sibi
REGES dabitur inter
Purpura claros nitente,
Ad nos lumina vertat:
Sed Legē quis det Legio?
Magna Lex sibi Legius.
Iam Solio de celso
SENATOR Antenoreos
Cernet, Proteget, Fouebit,
Præclaris dignos ornās honoribus:
Heroi nos interim Ara cultus erecta
Aptam MERITIS vicem referamus.

ARA
IN ADVENTV
Herois Patauio Præfecti
MARCI PRIVLI
erecta.

En inclytus Præfectus
Felici sumit Omine
Euganeorum Sceptra potentia;
En almæ Stirpis germen generosum;
Quo rerum Præside iam Furor impius
Excedet procul finibus
ANTENORE signatis;
Tribunal ad iustissimum
Cõpescet vim crudelium
Nostræ saluti consulens;
Virtuti dabit Præmia,
Mentes piorum diliget.
Ciues omnes & Exteri
Mecum efferte laudibus
MARCI PRIVLI nomen:
Viuat æternum viuat,
Qui bonos inter optimus
Turmas innumerabiles virorum
Sancte g bernaturus ad nos aduenit.
Ipsi Dosiada, Simmias, Publilius cultiorem
Extruant Aram; nos venerabundi plausu litabimus.

Ara vere dici non potest Poematium ab eruditissimo viro nuper Aræ nomine donatum. Cap. V.

Extremam imponens manum opusculo, certior fio, inter Aras Iuniores ad Antiquorum epigrammatum Aræ formam referentium similitudinem nuperrime constructas, prætermisisse me preclarum Altare vrbi æternæ dicatum ab erudito Bonifacio in Vraniæ libello: perquiro volumen, in eius calce reperio ænea lamina cælatos versus cum Aræ inscriptione in hanc effigiem

ARA

** Aram hanc, ſuper qua foedus in Gigantas iniere Superi,*
Vrbi dicamus, ſola quæ nunc opprimit Tyrannides,
Pioque cultu colimus hanc Dearum maximam Deam.

D ecernente ſuo quondam Dea Roma Senat V
I nter Coelicolas furtim irrepſiſſe putatu R,
Æ ternæque ſibi nomen ſumpſiſſe. ſed huic a B
V nanimo Superumcœtu decernitur vrb I
E ſſe Deam, fruiturque etiamnũ flore iuuẽt Æ
N ec, niſi deficiat rerum Natura, peribi T,
E ius enim fecit Deus imperium ſine fin E.
T roia iacet, Carthago iacet; ſed et ipſa ꝓbatu R
I n cineres ꝓpe cõuerſa & ſine numine nome N
Æ tatis damnum ſenſiſſe potentia Rom Æ.

At mortis expers vnica vrbs dominatur hæc mortalibus,
Et iure conſecratur ara æthereæ nunc Vrbi æthereæ,
Conſtatque ſtellis quatuor, vt quatuor plagis terræ imperet
** Vrbs, Orbe maior, & Deum omnium capax domicilium,*

Dicabat Vrbi Dominæ
Balthaſſar Bonifacius.
Anno aſſerti Orbis
MDCXXIIX.

Notan

Notandum hic duximus, Clarissimum Pignorium epitaphio suo Terentiano caute noluisse nomen Aræ præscribere; quod tamen huic suo epigrammati, eam dem pene figuram oculis subijcienti, præfixit disertissimus Bonifacius: Ego certe, vt ingenue fatear, de hac idem dico, quod asserui de illa; ipsam columnæ potius quam Altaris effigiem æmulari; quod consulto forte factum fuit a Pign. vetustatis cultore studiosissimo, qui nouerat sepulchris imponi columnas cum inscriptione; vt constat tum ex Theophrasto in Charactere *De inepta circa res paruas ambitione*, vbi culpat eũ, *qui quum sibi paruulus aliquis canis fuerit mortuus, monumentum ei faciet, ascriptis etiam in columella his verbis, SOBOLES MELITENSIS* verba Theophrasti sunt, καὶ κυναρίυ δὲ τελευτήσαντος, αὐτῷ μνῆμα ποιῆσαι, καὶ ςηλίδιον ποιήσας, ἐπιγράψαι ΚΛΑΔΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΟΣ. tum ex [a] Rhodigino; cui Demetrius nouis sepulchris modum statuit, iubens super terræ tumulum erigi columellam, quæ trium cubitorum mensum non excederet, aut mensam, vel labellum. Columnarum in sepulchris morem scribere ait quosdam, nobilioribus

a l. 17.c.20.

modo fuiſſe contributum, quo eorum faſtigium ceteris eminentius ſignificaretur. Columnarum ratio, inquit Plinius, erat attolli ſupra ceteros mortales: Quod & arcus ſignificant, nouitio inuento. Hoc vero ſepulchralium columnarum genus, a ſtando, στήλας vocant Græci, minores vero etiam *Stelidas*. Sed & στήλας Herculis nuncupari in Græcorum monumentis obſeruauimus. Noſtri, ſtantes appellant pilas. Verum & alicubi Plinius excitatas ſcribit ſtelas litteris incognitis. *& mox*,[b] Plato ſepulchrum porro extrui vetat altius, quam viri quinque diebus totidem excitare poſſint: Lapides (puto eſſe columnas) non maiores, quam vt poſſint defuncti laudes quatuor ſolum heroicis verſibus editas comprehendere: Quos, vt Cicero inquit, longos vocauit Ennius. Hac fortaſſe ratione clarus Pignorius epitaphium Terentij non inſcripſit Aræ nomine, ſed in columnæ figuram effinxit. Ceterum quæ ſub Aræ titulo proponitur poſt Pignorianam ab erudito Bonifacio, ſi veteres conſulamus, ea potius baſis, quam columnæ figuram repreſentat, aut Aræ: nam tales Vitruuius columnarum baſes

[b] 12. legum

ſes eſſe docet, qualis nouiſſimi huius poematij figura; quę vt auctori ſuo lōge diuerſa eſt a columna in eodem opere aliter deſcripta; ſic Ara nominatur nullo veterum exemplo, immo vero contra ſeniorum decreta; nam & Enneas Terrigena ſuum *Aræ* poematium in Heidelbergenſi Bibliotheca reliquit græcis characteribus in eam formam effigiatum, qua tres primi verſus longe breuiores ſunt quinque ſequentibus ita,

Ὁ λὸς ὀ με λιβρὸς ἱρῶν
Λιβάδεσσιν οἷα κάχλην
Ὑπὸ φοινίῃσι Τέγγει:
Μαύλιες δ' ὕπερθε πετρῶν Ναξίων θουμέναι
Παμμάτων φείδοντο Πανός, ὀ στροβίλῳ λιγνυῒ
Ἰξὸς εὐώδης μελαίνει τρεχνέων με Νυσίων:
Ες γὰρ βωμὸν ὁρῇς με μήτε ταγχούρου
Πλίνθοις, μητ' Αλύβης παγέντα βώλοις
Ουδ' ὃν Κυνθογενὴς ἔτευξε φύτλη
Λαβόντα μηκάδων κέρα
Λισσαῖσιν ἀμφὶ δειράσιν
Οσσαι νέμονται Κυνθίας
Ισόρροπος πέλοιτό μοι:
Σὺν οὐρανοῦ γὰρ ἐκγόνοις
Εἰνάς μ' ἔτευξε γηγενής,
Τάων δ' ἀείζωον τέχνην
Ενευσε πάλμυς ἀφθίτων
Σὺ δ' ὦ πιὼν κρουνηθεν ἣν
Ινις κόλαψε Γοργόνος,
Θύοις τ' ἐπισπένδοις τέμοι
Υμηττιάδων πολὺ λαροτέρην
Σπονδὴν ἄδην, ἴθι δὴ θαρσέων
Εἰς ἐμὴν τεῦξιν: καθαρὸς γὰρ ἐγὼ
Ιὸν ἱέντων τεράων, οἷα κέκευθ' ἐκεῖνος
Αμφὶ νέαις Θρηϊκίαις, ὃν χεδόθεν Μυρίνης
Σοὶ Τριπάτορ πορφυρέου φὼρ ἀνέθηκε κριοῦ.

Quod

Quod Idyllium ita Latine redditur ad verbum,

Atramētū ſepię nō me nigrū ſacrorū
Guttatim tamquam Cachlam
Colore PVRPVREO tingit;
Machæræ vero ſuper petras Naxias exacutæ
Peculio abſtinent Panos: non tortuoſo fumo
Viſcus ardens obſcurat me ſtirpiū Nyſearum:
Etenim Aram vides me neque Tanchuri
Plinthis, neq; Alybæ cōpactam glebis:
Nec, quā Cynthigena ſtruxit proles
Accipiens balantium cornua,
Accliuia circa cacumina
Quotquot paſcūtur Cynthiæ,
Æquiualens fuerit mihi:
Nam cum Cæli Neptibus
Enneas me ſtruxit terrigena,
Quibus ſemper-viuentē artē
Annuit pater immortalium.
Tu vero bibens ex fonte, quem
Filius excauauit Gorgonis
Cum victimis & oblationibus mihi
Hymettia multo dulciorem *afferens*
Libationem largiter, veni iam audacter
Ad meam ſtructuram; pura ſiquidem ego
Venenū-mittentiū monſtrorū; qualia occultabat illa
Circa nouas Thracias, quam prope Myrinam
Tibi Tripater purpurei Fur dedicauit Arietis.

Cui poematio explicando primam Encyclopædiam dicauimus.

Con-

Consimiliter vetustissimus ac tenebricosissimus ille Dosiada suum Idyllium *Aræ*(quod passim Simmiæ Rhodio, & Theocrito adscribebant, & olim nos ante inspectionem *A*ltaris Nonariani plusculis imitamentis a longe sequi studuimus) construxit duobus primis versiculis longe breuioribus, quam sint tres sequentes; vt in propria eius descriptione videre licet, quæ talis habetur,

Εἶμ' ἀρσενός μοὶ ςήτας
Πόσις μέροψ δίσσαβος
Τεῦξ' ὐ σποδεύνας ἶνις Εμπύσας μόρος
Τεύκροιο βῦτα. καὶ κυνὸς Τεκνώματος
Χρύσας αἶτας ἆμος ἐψ' ἄνδρα
Τὸν γυιόχαλκον δῦνου ἔῤῥαισεν
Θν ἀπάτωρ δίσσευνος
Μόρησε μητρόῤῥιπτος
Εμόν δ' τεῦγμ' ἀθρήσας
Θεοκρίτοιο κτάντας
Τριεσπέριοιο κάυσας
Θωΰξεν ἀνιύξας
Χάλεψε. γὰρ νιν ἰῶ
Σύγγαςρος ἐκδὺς γῆρας.
Τὸν δ' ἀειλινεῦντα ἐν ἀμφικλύσω
Πανος τε Ματρὸς ἐυνέτας Φωρ
Δίζωος, ἶνις δ' ἀνδροβρῶτος ἰλιοραίσαν
Ηρ' αρδίων εἰς Τευκρί δ' ἤγαγεν τρίπορθον,

Δωσιάδα Βωμὸς
ὃν ἔςασε Μῦσαις ἐν γᾷ

Quod

Quod epigramma primũ a Gulielmo Cantero ex Ioanne Aurato ita Latine vertebatur,

Sum viri osor
Infelix puber
In cinere cubans iuuenis Empusæ gnatus,
BVBVLCI & CANIS filius, quem
Aureus Amasius, quando accendi virum
Ferreis-prędditũ membris ducẽ, perdidit:
Quẽ frater duarũ vxorũ maritus
Occidit a Matre abiectus:
Meũ vero monimẽtũ cõsiderãs
Dearum-iudicis interfector,
TRINOCTIS Vstor,
Exilijt cum Clamore
Læserat enim eum veneno
Serpens deposita senectute:
Illum autem hærentem in insula
PANIS Matrisque Coniunx Fur
Bis natus, filiusque hominum voratoris,
TROIÆ populator, sagittarum gratia
In TEVCRIAM deduxit ter--captam

DOSIADÆ ARA
Quam erexit Musis in Terra.

Deinde vero ex correctione Clarissimi Scaligeri & eruditissimi Salmasij alirer sic Latio donatur,

Semi-

Semimasculę me mulieris
Maritus bilinguis repubescens
Struxit, vbi subcinericius filius Empusæ fatum
TROLANI *Bubulci & Canis filij* fuit:
CHRYSÆ *Amator quando Viricoquum*
Aerimembrem CVRSOREM *destruxit;*
Quem APATOR *bigamus*
Interfecit a matre-proiectus.
Meã vero structurã circũspiciens
Dearum-iudicis interfector
TRIESPERII *vltor*
Latrauit vociferans;
Læserat enim eum veneno
Serpens vetustatem exuere solitus:
Hunc autem obambulantem in insula
PANISQVE *Matris Maritus, Fur*
Explorator, filiusque hominũ-voratoris, neruicidarũ
Gratia sagittarum in Teucriam duxerunt ter-captam.

DOSIADÆ ARA,
Quam erexit Musis in terra.

Quod poematium itidem propria Encyclopedia illustrauimus post inclytum Salmasium, & alios viros eruditissimos. Pariter Ara Pythia Publilij duos primos versiculos breuiores habet immediate sequentibus; immo & tradens Optatianus regulam efformandæ *Aræ* Poeticæ, præcipit vt primi versus breuiores sint proxime

ſequentibus, inquiens Poetam in *Aræ* ſtructura debere

Arctare primos eminentes angulos,
Et mox ſecundos propagare latius.

At vir eruditus primos verſus epigrammatis latius propagauit, ſecundos viciſsim arctauit, nullo quod ego ſciam vetuſtatis exemplo: videtur autem hic vir egregius Aræ ſuæ formam ſuſcepiſſe ab imagine delineata in Hyginij libro IV. de ſignis cæleſtibus: vbi etiam legitur, Ara habere in ſummo cacumine circuli, vbi formatur, ſtellas duas, & in imo alteras; & ita eſſe omnino ſtellarum quatuor. Ceterum hæc eſt *Ara* ſine foco frigida; quum Ptolemæus, & alij omnes Aſtronomi Arę cæleſti, quam etiam Lar nuncupant, atque Thuribulum, attribuant vnanimi conſenſu ſeptem ſtellas; quarum ſi ſunt quatuor Aræ corpus conſtituentes, tres certe focum, ſeu flammam in aræ ſummitate ardentem efformant: cui foco fortaſſe reſpicientes poetæ veteres in Aris ſuis efformandis duos, vel tres verſus primos ac ſupremos breuiores effinxerunt; quandoquidem ignis ardens figura propria conica ſeu pyramidali effigiatur

giatur

giatur in cacumen; quos versiculos breuiores in altaris summitate loco flammæ collocandos omisit in hoc suo poematio clarissimus Bonifacius, sine vlla classicorum autoritate, sine vllo veterum poetarum exemplo, vt dicebamus. Alia tamen ex parte clarissimum virum ad eam imaginem Hygini sua in hac Ara efformanda non respexisse, vnum illud suadere videtur apertissime, quod Hygini figura capitulum suum, seu coronicem, verticemue habere conspicitur quadriplinthium, & basim triplinthiam; quum hæc recentior imago vicissim capitulum seu verticem habeat diplinthium, vel ad summum triplinthium, & basim quadriplinthiam; atque omnino basim crassiorem vertice: Quin & ara illa Hygini logitudinem seu latitudinem altitudine minorem non habet, vt hęc viri præclari habere perspicitur. Illud tamen more veterum in hac nuncupata ara notamus effictū, quod Autoris nomen est in ima basi descriptum.

Quare non ab re inter Aras poeticas Idylliū illud alioqui pulcherrimum non adnumeraui.

Peroratio totius operis. Cap. VI & postremum.

Ita ergo nos de Veterum Aris poeticis Enclyclopædiam animi caussa dudũ habuimus. Quam ęqui bonique consulant in re tam obscura studiosi: Dum ad Simmiæ Rhodij consimilia poematia stilũ conuertimus Deo benefauente.

FINIS.

69

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

ara

Beda

71

Index Rerum Notabilium

Deo-

Index Rerum Notabilium

Forma

73

Index Rerum Notabilium.

K Libros

Index Rerum Notabilium.

mensa

Index Rerum Notabilium.

poesis

77

Index Rerum Notabilium.

rhabanus

FINIS

REGISTRVM

a b A B C D E F G H I k.

Omnia sunt folia integra.

